



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De Numero Prædestinatorum, Ac Reprobatorum

Recupito, Giulio Cesare

Lvgdvni, 1681

Cap. XII. Septimum prædestinationis signum, Dilectio inimicorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44272

spir. & litt. cap. 32. *Christus est vita fidei*. Sicut autem vita manifestatur per operationes vitales, quibus cessantibus signum est cessare vitam: ita charitas manifestatur per opera misericordiae ex ea profecta: quibus cessantibus signum est mortuam esse charitatem: neque amplius fidem charitate animari. Ideo Bernard. epist. 32. *mortua*, inquit, *fides est, qua non operatur ex dilectione*: quasi non habens animam ipsam dilectionem, qua vegetetur, & moveatur ad opera. Negans igitur opera misericordiae pauperi, signum præfert, quod in eo est fides mortua sine anima charitatis. Fides autem mortua, ut patet, reprobationis est signum. Denique, si ex Aug. tract. 5. in Ioan. *inter filios Dei, & filios diaboli discernit sola dilectio*: utique inter diligentes discernit sola operatio. Quippe, ut ait Gregorius l. 2. in Evang. homil. 30. *probatio dilectionis exhibitio est operis*. Unde fit, ut non exercens opera misericordiae in pauperes, numerandus sit inter filios diaboli, atque adeo inter præscitos. Ex quo ulterius sequitur divitem immisericordem duplex habere reprobationis signum, & immisericordiam, & divitias. Siquidem, ut ait Augustinus lib. de contemp. mundi cap. 5. *si regnum calorum est pauperum, restat ut infernus sit divitum*.

CAPUT XII.

Sextum prædestinationis, signum, Dilectio inimicorum; Reprobationis, affectus vindictæ.

CXCVI.

Matth. 5.

Dico duodecimò. Prædestinationis signum est dilectio inimicorum.

Probatur primò è Scripturis. Primus locus est Matth. 5. *Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos: ut sitis filij Patris vestri, qui in calis est*. Huic loco accinit Matth. 5. *beati pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur*. Unde sic arguo. Dilectio inimicorum reddit filios Dei. Ergo & hæredes regni: quia *si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* ad Rom. 8. Ergo prædestinationis est signum: quia prædestinati sunt, qui Christi cohæredes destinati sunt. Confirmatur ex versione Chrysostomi in hunc locum Matt. qui, ubi vulgata *ut sitis filij Patris vestri*, legit, *ut sitis similes Patri vestro*. Unde habetur ex dilectione inimicorum haberi potissimum filiationem Dei: quia ex ea habetur similitudo Dei. Nempe Dei, ut canit Ecclesia, *proprium est misereri semper, & parcere*. Ideo dicitur Osee 11. *non faciam furorem iræ meæ: non convertar ut disperdam Ephraim. Deus enim ego, & non homo*. Notanda est causalis,

Osee. 11.

causalis, *Deus enim ego*. Ideo non ulciscar, neque faciam id, quod dicitur ira, quia *Deus ego*. Parcere igitur divinissimum: sicut etiam conferre inimico beneficia. Hoc enim genere ultionis Deus suas injurias ulciscitur. Quamobrem dicitur Isa. 35. *adducet Dominus ultionem retributionis: ipse veniet, & salvabit nos*. Ideo S. Paulinus *Paulin.* epist. 2. *hac est, inquit, vindicta caelestis, inimicum diligere*. Quod animadvertens Augustinus in Psal. 99. *tantum, inquit, accedis ad August.* similitudinem, quantum proficis in charitate. Illud planè idem, quod dicit Christus, *diligite inimicos, &c. ut sitis filij Patris vestri: sive, ut sitis similes Patri vestro, qui in calis est*. Ex hac similitudine Christus filium Dei se ostendit in cruce. Quando enim pro se alloquutus est Patrem, non patrem appellavit, sed Deum; *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. Quando verò pro inimicis rogavit, disertè appellavit Patrem, *Pater ignosce illis*: quia tunc diligendo inimicos se præferbat filium, juxta illud, *ut sitis filij Patris vestri, &c.* Ideoque Cyprianus lib. de bono patientiæ, *inter cetera, inquit, Cyprian.* quibus Christus indicia divina majestatis expressit, paternam sapientiam tolerantia tenore servavit.

Id porro causæ fuit, ut bonus latro, inter tot crucis opprobria, Christum agnoverit regem cælorum, & filium Dei: non quidem propter miracula eclipsis, terræmotus, &c. quæ, teste S. Leone ser- *Christus tolerantiam suam ostendit divinitatem.* mon. 2. de passione, nondum evenerant, cum latro conversus est. Sed quia ejus tolerantiam inter tot cruciatus animadvertens, ex tam constanti perpeffione divinum in eo aliquid esse conjecit. Quamobrem Hilarius lib. 11. de Trinit. *latro regnum Christi in Christi corpore didicit*. Quid ad credendum permovit, nisi patientia in ejus corporis perpeffione patefacta? Immo specialiter, quia tunc rogantem pro inimicis audivit, ideo ad credendum in eum ut verum Dei filium permotus est, ut expressè tradit Euthymius in Matth. 27. qui, *latro, inquit, pœnitentia ductus est, audiens quod Christus pro eis, qui eum crucifixerunt, intercederet*. Nimirum filiationem Dei ex dilectione inimicorum agnovit, juxta id, *diligite, &c. ut sitis filij, &c.* Si igitur dilectio inimicorum fuit in Christo signum filiationis Dei naturalis, à fortiori erit in nobis signum filiationis Dei adoptivæ: & sic prædestinationis ad regnum. Et si Christus diligendo inimicos, expressit in se similitudinem Patris, nos eadem inimicorum dilectione exprimimus in nobis similitudinem Christi: quæ prædestinatorum est propria, dicente Paulo ad Rom. 8. *quos prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui*. *Rom. 8.*

Nulla autem re magis, quàm inimicorum dilectione in nobis exprimi similitudinem Christi significatur in Cant. 4. & 5. ubi, dum singillatim describuntur membra sponsi, & sponsæ, nulla in eis apparet similitudo. Quippe capilli sponsæ dicuntur *greges caprarum*: ca- *Inimicorum dilectione Christi similitudo in nobis exprimitur.*

pilli sponsi sicut elata palmarum : genæ sponsæ, sicut fragmen mali punici: genæ sponsi, sicut areolæ aromatum : labia sponsæ, sicut vitæ coecinea : labia sponsi, sicut lilia : & sic de cæteris. Sola in oculis similitudo laudatur, quod in utroque sint oculi columbini. Nempe sponsæ dicitur, *oculi tui columbarum* : sponso, *oculi eius sicut columba* : quia scilicet Christus tot peccata, & offensas, quæ quotidie in illum parantur, respicit oculis columbinis : & dum irascitur, sicut columba

Hierem. 25. irascitur : quæ sine amaritudine est, sine felle. Ideo dicitur *Hier. 25. à facie ira columba, à facie ira furoris Domini.* In hoc ergo maxime apparere debet similitudo inter animam prædestinatam, & Christum: quod sint utriusque *oculi sicut columba* : quæ carens felle, ut notat Hieronymus in Oseam, *ablatis pullos non dolet* : & , ut notat Theophylactus in 1. Matth. *columba, si eius foetus auferantur, & persecutionem patiantur, statim ad suas domos revertitur*, utique injuriæ immemor. Talis nimirum similitudo cum Deo non solum esse debet in oculis columbinis, sed etiam in corde columbino immemore injuriæ.

Theoph.

Act. 13.

Quod satis indicatur iis verbis *Act. 13. inveni David, virum secundum cor meum : qui faciet omnes voluntates meas.*

David secundum cor Dei dictus propter injuriarum oblivionem. *Hilarius.*

Certe David in multis à voluntate Dei recessit : in numeratione populi, in adulterio, in homicidio ; tamen absolute dicitur esse *secundum cor Dei* : quia cor Davidis conformabatur cordi Dei in oblivione injuriarum, quas à Saule, ejusque aëclis passus erat quamplurimas. Quod in Davide expendens Hilarius in Psalm. 53. *non, inquit, inimicos bello persequitur, neque insidiantibus sibi decertando armis resistit : sed exemplo Domini, cuius & nomen & lenitatem præfigurabat, proditus orat, periclitans psallit, patiens odia gratulatur : & ideo secundum cor Domini repertus est.* Neque solum in hoc David se juxta cor Domini ostendit, quod hostes insectatus non est ; sed etiam quod Semei sibi maledicenti ne verbo quidem succensuit : sed potius contra eum, qui ultionem suadebat, exarsit, ut habetur 2. Reg. 19. Quod advertens Bernardus serm. 34. in Cant. *ò verè, inquit, hominem secundum cor Dei, qui se ulciscenti potius, quam exprobranti succensuit!* Similitudo igitur cum Deo, & conformitas cum visceribus misericordiæ divinæ sumitur ex dilectione inimicorum : & ideo ex ea habetur signum filiationis, juxta superius dictum ex Matth. 5. *diligite inimicos vestros, &c. ut sitis filij Patris vestri : sive, ut sitis similes Patri vestro, qui in caelis est.* Ex hac autem filiatione Dei, & conformitate ad imaginem Christi habetur signum prædestinationis ad regnum. Dicit enim potest cuilibet inimicis condonanti, quod dictum est Davidi postquam noluit ulcisci de Saule, *nunc scio quod certissime regnaturus sis.* Nempe David, ut advertit Chrysostomus, *egressus est de spelunca cum capite coronato : eò quod hostem dimiserit, & nactus occidendi potestatem, pepercit. Qui enim latus inimico parcat, iam gloria coronam habet in capite.*

CXCVII.

Bernard.

Secundus locus est Matth. 6. *dimitte nobis debita nostra, sicut & Matth. 6. nos dimittimus debitoribus nostris.* Cui consonat id, quod dicitur Lucæ 6. *dimitte, & dimittemini.* Unde sic arguo. Promittitur remissio peccatorum remittenti injurias. Ergo remissio injuriarum prædestinationis est signum: cum statim Deus remittat peccata, quæ sola sunt prædestinationis obstacula. Quamobrem S. Cyprianus de orat. *addidit, inquit, legem certa nos sponsione constringens, ut sic nobis peccata dimitti postulemus, sicut nos debitoribus nostris dimittimus.* Unde fit, ut cum inimico injurias dimittimus, non tam illi beneficia impendamus, quàm nobis. Quod animadvertens Chrysostomus homil. 27. in Genes. *si dimiserit, inquit, homo hominibus delicta illorum, dimittet & vobis Pater vester caelestis. Ne igitur putemus, dum benefacimus alij, quod magnum quoddam beneficium apud illum deponamus: nam ipsi sumus, qui beneficio fruimur; & multum inde boni nobis conciliamus.*

Cyprian.
Qui inimi-
co injurias
condonat,
non tam il-
li, quàm si-
bi beneficia
impendit.
Chrysost.

Tertius locus est Matth. 5. *Beati mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram.* Quem locum explicans Augustinus lib. 1. de ser. Dom. *illam, inquit, credo terram, de qua in psalmo dicitur, spes mea es tu, portio mea in terra viventium. Mites autem sunt, qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum.* Ideo prædestinati appellantur à Christo, *oves: statuet oves à dextris.* Ovium autem est proprium tondenti, & laceranti non obsistere. Quod apparuit in Christo prædestinatorum duce: qui tanquam ovis ad occisionem ductus est: & tanquam agnus coram tondente se obmutuit, Isa. 53. Hoc est proprium eorum, qui à dextris collocandi sunt tanquam oves. Hæc è Scripturis.

Matth. 5.
August.

Matth. 25.

Isa. 53.

Probatur idem secundò ratione. Dilectio proximi prædestinationis est signum. Ergo multò magis dilectio inimicorum. Antecedens patet ex probatis cap. 10. Consequentia probatur, quia intra genus dilectionis proximi habet primitatem excellentiæ dilectio inimicorum. Tum quia, si diligitur inimicus, multò magis diligitur amicus, & neutralis. Tum quia dilectio inimici est cum circumstantia summè difficultante. Quippe per eam inferitur vis propensionis naturali inclinati ad vindictam. Ac proinde in ejusmodi actibus verificatur dictum Matth. 11. *regnum calorum vim patitur: & violenti rapiunt illud.* Quamobrem Augustinus in Enchirid. cap. 73. *minus, inquit, magnum est erga eum esse benevolum & beneficium, qui tibi mali nihil fecerit. Illud multò grandius, & magnificentissima bonitatis est signum, ut tuum quoque inimicum diligas; & ei, qui tibi malum vult & facit, si potest, in bona semper velis, faciasque, dum possis.*

August.

Et ratio est, quia diligere amicum est commune cum infidelibus; diligere inimicum, proprium est Christiani. Ideo Christus Matth. 5. *si diligitis, qui vos diligunt, nonne & publicani hoc faciunt? Quod*

Matth. 5.

expendens Augustinus serm. 61. de temp. si amas, inquit, amantes te filios, & parentes: amant & gentes: amant & dracones: amant & lupi: amant & ursi. Vt ergo superiores simus & gentibus, & bestijs, etiam adversarios diligamus.

Confirmatur primò, quia si facienti eleemosynam promittitur æterna benedictio Matth. 25. multò magis diligenti ex corde inimicum: quod est genus eleemosynæ altioris. Ideo Augustinus loco cit. multa, inquit, sunt genera eleemosynarum, quas non facimus, ut dimittantur nobis peccata: sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccarit.

Dilectio
inimicorū
pœnè mar-
tyrio præ-
ponitur.
Nazianz.

Confirmatur secundò, quia dilectio inimicorum æstimatur actus tam heroicus, ut pœnè martyrio præponatur. Ideo Nazian. or. 19. Stephanus, inquit, cum lapidaretur, pro lapidantibus orabat: maius aliquid morte Christo offerens. Quamobrem cum Stephanus vidit calos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. Actor. 7. utique Christus cum tota curia cælesti spectabat pugnam non tam Stephani cum hostibus decertantis, quàm pro hostibus deprecantis. Quippe, dum pro lapidantibus orabat, offerebat Christo aliquid morte maius.

CXCVIII.

Dilectio
inimicorū
in Christo
miraculorū
operativa.
August.

Confirmatur tertio, quia in ipsomet Christo dilectio inimicorum fuit omnibus eius miraculis admirabilior: immo ipsamet fuit miraculorum operativa. Nam, teste Augustino in Psal. 54. Ideo Christus post resurrectionem exhibuit se discipulis supra mare ambulantiem; quia exhibuerat se in passione pro inimicis rogantiem. Ille, inquit, calcat fluctus huius seculi, qui diligit inimicos. Christus in mari ambulabat intrepidus: cuius omnino de corde auferri non poterat inimici dilectio: qui pendens in cruce dicebat, Pater ignosce illis. Addit idem Augustinus, ideo Petrum ambulantiem supra fluctus, cum videret ventum validum, cœpisse mergi, Matth. 14. quia nondum erat firmus in dilectione inimicorum. Petrus, inquit, iussus est ambulare: sed, cum videret ventum validum, timuit, & mergi cœperat conturbatus in exercitatione sua. A quo vento valido? à voce inimici. E quibus apparet quàm admirabilis, & supra omnes vires naturæ sit actus dilectionis inimicorum: ut meritò dixerit loc. cit. Augustinus esse actum magnificentissimæ bonitatis. Unde sequitur in eo collocari signum firmissimum prædestinationis. Quod agnoscens Nyssenensis apud S. Maximum serm. 42. Siquis, inquit, contumelia contumeliam ulciscetur, hac ipsa vitia augebit. Firma, & indubitata gratia spes, & fructio ijs, qui per patientiam expectant. Neque incongruè Franciscus Petrarcha dialogo de vindicta: Vltionis, inquit, momentanea delectatio est: misericordia, sempiterna. Fac tu id hodie, quo perpetuò delesteris.

Nyssenens.